



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Et Virtutes Venerabilis Patris Lvdovici De Ponte, Societatis Jesu

Lamparter, Heinrich

Jngolstadii, 1662

Cap. IX. Lucubrationes & libri scripti à Ludovico.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43978

tendere. Alio tempore dixit, se nullum vitæ modum, aut religionem Deo gratiorem, perfectiorem non novisset, quàm nostra sit, protinus concessurum ad illam. Nunc autem se invenire in ista, quidquid cor suum desideret: quibus verbis in auditoribus non parùm instituit amorem intendit.

CAPUT IX.

LVCVBRATIONES ET LIBRI
scripti à Ludovico.

I.

Divinitus impellitur ad scribendos Libros.

QUOS vrit ignis veri amoris divini, otiosos & inertes de gere non sinit: semper aliquid moluntur in ejus honorem & obsequia. Cùm igitur ad alia non supererent vires, & satis operis faceret; coelesti mentis instinctu vehementer incitatus est, ad Libros edendos utilitati publicæ. Sed ipse

non prius animum ad scribendum
 appulit, quam post multas preces,
 DEVM ita velle vidit lumine pror-
 sus extraordinario: quod ipsemet
 aperuit supra memoratæ Marianæ,
 fundatrici Recollectarum, ut eam
 animaret in negotio, quod afflatu
 divino moliebatur, supra femineas
 vires; de quo illa apud sacros judi-
 ces hæc scripto deposuit; *Dominus*
noster seruo suo, P. Ludovico de Ponte,
tantum lumen impendit ad dirigēdas
animas, scribendis & evulgandis Li-
bris, tam eccellente doctrina, quam
est in illis videre. Neque dubitari po-
test extra ordinem, & supra naturam,
copiosissimum fuisse, quod ei Dominus
noster in magna abundantia largitus
est hoc modo: Multis diebus prolixè
suppliciterque Majestatem divinam
rogaverat, ut lucem sibi daret ad bene
serviendum suæ gloriæ per desideria,
quæ sibi inspirabat pro bono & pro-
fectu animarum, dirigendo eas suis
consilijs

consilij & sermonibus, in libris, quibus
 de doctrina spirituali scribere cogitabat,
 propter vehementes impulsus, quibus
 Dominus noster illum sollicitabat, ut
 faceret. Hac summa fuit precor ejus
 multis diebus, cum demum conpedito
 in suo conclavi, tam liberaliter annuit
 Dominus noster, implendo eum divina
 luce & amore, ut diu postea non
 potuerit non dare signa tam copiosi
 doni & misericordia: & surgens in
 oratione, immemor sui nesciverit quid
 ageret, sed inter suspiria crebra exclamavit:
 Non plus Domine, non plus lucis,
 non tantum: satis est, satis est, in
 cubiculo deambulans, vel extra se
 positus, & fugitans lucis majoris.
 Addidit ei, cui hac narravit, & animam
 suam visam sibi esse vivam & ardentem
 flammam, quam nisi Dominus noster
 mitigasset, actum de vita sua fuisset.
 Ab eo tempore & scribere cepit, & plus
 agere cum hominibus, eo opere pretio,
 quod notum est

tantumque crevit aestimatio sanctitatis ipsius, & prudentia in regendis animabus, ut vix ullus optatum speraret exitum rerum suarum, nisi quas egisset ejus consilio, & interrogasset eum, an rectè incederet: atque in hoc tam fuit excellens, ut quidquid dixerit, longè infra laudem ejus futurum sit, propter utilitatem, quæ capiebatur ex communicatione cum illo. Haecenus illa, cui ipse hæc non proditus erat, nisi censuisset ei necessaria, ad fiduciam cõcipiendam de auxilio DEI, qui delectatur uti infirmitate nostra ad ea perficienda, quorum gloriae suæ multum intersit.

II.

Lucem illam non solum patefecisse voluntatem divinam, sed etiam advexisse divitias copiosas multorum coelestium auxiliorum, ad scribenda, quæ jubebatur divinitus, ipsæ lucubationes ejus demonstrant. Neque enim aliunde

H subli-

sublimes illas intelligentias litterarum sacrarum, illam copiam sententiarum, cum tanta facilitate declarandi obscuras plerisque re Theologiæ, quæ mystica nominantur: illam vbertatem ac soliditatem aptissimorum in ambiguis mediolorum, & alia decora librorum ipsius, quàm à cœlesti luce fluxisse quis dixerit: ut meritò de illo scripserit Joannes Rho. *Immortalium monumentorum, qua ab hoc homine scripta, variisque linguis non una tantùm Europa, sed Christianus Orbis laudat atque miratur universus: præclarissimam laudem ex aquo sibi, sapientia & patientia postulantibus. Quamdam enim viribus valuit, gravissimis negotiorum bono egit; sed posteris minimè consulebat: at afflictà laboribus ac vigilijs valetudine, subortisque morborum lectulo affixus est, patientia doloribus sustinendis irà strenuè partes suas egit.*



egit, ut ea veluti procul bellum ge-
rente, sapientia commentari liceret;
ac dum atteritur vita, consuleret im-
mortalitati. Sic ille.

III.

Primum ejus operum, quæ lucem *Primum*
aspexerint, Meditationes fuere de *Operum*
mysterijs Christi, editæ primùm, *ejus sub-*
anno 1605, ac tertium proximè se- *re Medio*
quentibus quatuor annis, Hispano *tationes*
sermone, ac sæpius postea Latino,
Germano, Gallicò, alijs. Eas me-
moriæ felicissimæ Imperator Fer-
dinandus II. Principum Christia-
norum religiosissimus, inter sum-
mas Imperij Romani curas, ita tri-
verat, ut auditus sit dicere, se illas
tenere memoriâ. Quo judicio tam
gloriosi Cæsaris, nescio an quidquã
in laudem ejus libri afferri possit
honestius. Nec mirum, quia Lu-
dovicus expressit in eis, quidquid
longo usu, assidua meditatione,
perpetua sui mortificatione didi-
cerat,

H 2 cerat,

cerat, & ut Petrus Ribadeneira no-
 tavit, non tam ex aliorum libris
 hauserat, quàm in se ipse expertus
 erat. Secutus est anno 1609. Du-
Secundū spiritualis: quem P. Mutius, Soci-
Dux spi- tatis præpositus Generalis, grati-
ritualis. simus iudex rerum istarum, suum
 Ducem nominabat, quòd ipso plu-
 rimùm uteretur, præsertim in an-
 nuo secessu à negotijs, & curis reg-
 minis. Id opus cùm propter soli-
 tissimam juxtà, & altissimam do-
 ctrinam Theologiæ mysticæ, plu-
 rimùm faciant viri doctissimi, & in
 rebus Asceticis exercitatissimi, se-
 lus Ludovicus visus est levidentè
 putare. Nam interrogatus, an ipse
 magno steterit ejus compositio-
 nis spōdit, quàm qui minimo: forsassis
 deo, quòd eam doctrinā non recedens
 & operosa commentatione colle-
 gerit, sed ex usu familiari descrip-
 sit: quod utique non magni nego-
 tij fuit. Hoc circa hunc librum
 evenit

evenit non silendum. Martinus Delrio secus flumen deambulaturus, aliquot libri folia secum acciperat, ut ea recognosceret, ac posteaquam legit, nescio quo modo perdidit, ut reperire nequiverit: Aliud igitur exemplum illorum petivit ab Authore: sed hic, quia aliud non habuit, sumpto calamo, iisdem sententijs, imò verbis illa refecit, quibus exarata fuerāt folia, quæ perierant; admirante Delrio, & sæpiùs deprædicante miram hominis, sive felicitatem, sive memoriam. Tertium opus de Perfectione hominis Christiani prodijt anno 1612. de quo Joannes Marquez, è sacra S. Augustini familia, libris præclaris notus in Hispania, dicebat, quidquid cujuslibet conditionis homo Christianus requirat, affatim in eo suppetere: quod equè dixeris de expositione Morali canticæ Salamonicæ, duobus volumini-

Tertium opus de perfectione hominis Christiani.

Quartæ commentarius in canticum.

minibus magnis latinè edita anno
1622. His accedunt historiae P. Al-
varez, & Marinæ de Escobar, quæ
rum ista nōdum data est in lucem
Addi possunt Epistolæ ad diversos
& Responsa, libros bene magnos
factura, si colligantur. Directorii
post obitum ejus editū, anno 1621
in Germania nondum vidimus.

Sextum.
Res Ma-
rina de
Escobar.

Librorū
eius æsti-
matio.

IV.
Magna his operibus Ludovicus
accessit æstimatio à præcipui no-
minis viris. Quos inter ex ordinis
S. Benedicti nobilissimus tota His-
pania Concionator, Alphonsus
de Herrera dicebat, se absque hoc
ponte nullum fluvium posse trans-
ire. Robertus Cardinalis Bellar-
minus, sapientum & sanctorum
Antistitum exemplum, assidue
bro illos usu cum pietatis gustu
versabat, præsertim ultimis annis
Multi Vallisoletum venere magni
itineribus, ut eorum Authorem
vide

viderent. Lugduno ex Gallia Provincialis Franciscanorum Ludovici visendi causa Vallisoletum venerat, narrans miracula mutationum in hominibus factarum per libros illius. In ejus conspectum ut venit, provolutus conabatur eum pedum osculatione venerari. Sed eum Ludovici modestia ne ad manus quidem osculum admittente, aliquamdiu ambo inter se reverentia certarunt è genibus, donec neutro victo, utroque victore & modestiæ palmam consecuto, familiari sanctoque colloquio Provinciam Ludovicus tantis implevit solatijs animi, ut fassus sit, longissimæ licet, atque gravissimæ profectiois pretium se copiosum retulisse à sermone viri, tanto lumine, sanctitate, & sapientia cumulati. Simillima sunt experti alij Religiosi, qui cum eo sunt collocuti. Ad commendationem eorum

H 4 libro-

librorum pertinet, quod Marinus de Escobar quondam divinitus ostensus est Ludovicus, in æquissimo amplissimi campi concionem habere, ad infinitam multitudinem audientium. Nam admiranti hoc virgini, quòd eo tempore ille non amplius concionaretur, à Deo responsum est, imò eum etiam numerum concionari per suos libros, qui ubique terrarum legantur. Et potest videri profectiōnem ad Indos, quam desideraverat, compensatam et modo fuisse, ut quòd non poterat ipse, venirent ejus monumenta librorum,

V.

*Visio de
his li-
bris.*

Alia ex Recollectis S. Augustini scripsit, inter orandum exhibitam sibi auream scalam novem graduum, quorum tres infimi nigro operati per doctrinam Ludovici, piè viventes incipientes ad peccatorum detestationem, confessionem, & penitentiam

gentiam ducant; tres medij aperti
caruleo, proficientes ad medita-
tionem, communionem & imita-
tionem Christi promoveant: sum-
mi tres vario colore strati, jam per-
fectos elevent ad conjunctionem
cum DEO, per contemplationem
cruciatuum, & Gloriæ Christi, &
attributorum DEI. In fastigio scalæ
libram vidit, cujus una lanx aurea
fuit, ex argento altera. Librâ in-
tellexit significari prudentiam, qua
pondera rerum, omniumque di-
ctorum examinabat, aurea lance
Charitatis, & argentea purissimæ
semper intentionis, homines ad
puritatem cordis, & amorem DEI
ducendi. Alio die vidit eadem in-
terorandum viam per amplam, qua
incedebant homines diversi fasti-
gij, sed quia nox erat, & offendicula
multa, satis periculosum absque
laterna, quæ relucens in mediâ viâ
securum iter præstabat. Significa-
batur

H 5

batur

batur autem eâ liber Ludovicus quem Ducem spirituales in seipso proficit, aptissimo nomine.

Atque iste cursus fuit vite munium Ludovici: libro sequentium virtutes ejus, & ornamenta celestia prosequemur: postea mortem & quæ illam secuta sunt,

LIBER II.

DE P. LUDOVICI DE PONTI
VIRTUTIBVS, ET EXIMIIS
DEI donis.

CAPUT I.

EXCELLEN. HUMILITATIS
I.

Sicut hæc spatia, priusquam in eis hanc mundi machinam DEVS condideret, erant inania: sic & mentes, in quibus cœleste sibi palatium, et heroicis virtutibus, ac cœlestibus ornamentis parat, omni prius æstimatione